



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

2. Vtrum baptismum debeat præcedere exorcismus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

Vtrum catechismus debeat precedere baptismum.

4. dist. 6. 2. q. art. 3. q. 4.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod catechismus non debeat precedere baptismum. Per baptismum enim regenerantur homines in vitam spiritualem: sed prius homo accepit uitam quam doctrinam. non ergo prius debet homo catechizari, id est doceri, quam baptizari.

¶ 2 Præt. Baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinae perceptibiles: eo quod non habent usum rationis. ergo ridiculum est eos catechizare.

¶ 3 Præt. In catechismo cõfitei catechizatus suã fidem: sed pueri non possunt suam fidem confiteri, neque per seipso, neque etiam aliquis alius pro eis: tum, quia nullus potest alium ad aliquid obligare: tum etiam quia non potest aliquis scire, utrum pueri cum ad legitimam ætatem peruenerint, assentiant fidei. non ergo debet catechismus præcedere baptismum.

Lib. 1. c. 25. a med. illius.

SED CONTRA est, quod Rabanus de institutione clericali dicit, * Ante baptismũ, catechizandi debet hominem præuenire officium, ut fidei primũ catechumenus accipiat rudimentum.

Q. præced. art. 1.

RESPON. Dicendum, quod (sicut supra dictum est) * baptismus est fidei christianæ sacramentum, cum sit quãdam professio fidei christianæ. Ad hoc autem quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod de fide instruat, secundum illud Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicatione? Et ideo ante baptismum conuenienter præcedit catechismus. unde & Dominus præceptum baptizandi discipulis tradens, præmittit doctrinam baptismi dicẽs, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod uita gratiæ, in qua regeneratur aliquis per baptismum, præsupponit uitam nature rationalis: in qua homo potest esse particeps doctrinæ.

Q. 69. art. 6. ad 3. arg. & 88. art. 9.

AD SECUNDVM dicendum, quod sicut mater Ecclesia (ut supra dictum est) * accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut ueniant, & aliorum cor, ut credant, ita etiam accommodat eis aliorum aures, ut audiant, & intellectum, ut per alios instruantur. & ideo eadem ratione sunt catechizandi, qua sunt baptizandi.

AD TERTIVM dicendum, quod ille qui pro puero baptizato respondet, Credo, non prædicat puerum crediturum, cum ad legitimos annos peruenerit: alioquin diceret, Credo, sed profiteretur fidem Ecclesiæ in persona pueri, cui communicatur, cuius sacramentum ei tribuitur, & ad quam obligatur per alium: non est enim inconueniens, quod aliquis obligetur per alium in his quæ sunt de necessitate salutis. Similiter etiam patrinus pro puero respondens promittit se operam daturum ad hoc quod puer credat: quod tamen non sufficeret in adultis, usum rationis habentibus.

ARTICVLVS II.

Vtrum exorcismus debeat precedere baptismum.

Inf. art. 3. ad 3. & 4. dist. 6. q. 2. art. 3. q. 1. per tot. & q. 2. ad 4.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur quod exorcismus non debeat precedere baptismum. Exorcismus enim cõtra energumenos, id est, arreptitios ordinatur: sed non omnes baptizandi sunt tales. ergo exorcismus non debet precedere baptismum.

¶ 2 Præt. Quãdiu homo subsiacet peccato, diabolus in eum habet potestatem, quia ut dicitur Io. 8. qui

Facit peccatum, seruus est peccati: sed peccatum tollitur per baptismum. non ergo ante baptismum sunt homines exorcizandi.

¶ 3 Præt. Ad arcendum demonum potestatem, introducta est aqua benedicta. non ergo ad hoc oportebat aliud remediũ adhiberi p exorcismos.

SED CONTRA est, quod Cælestinus Papa dicit, * Sicut paruuli, siue iuuenes ad regenerationis ueniant sacramentum, non prius fontẽ uitæ adcant, quam exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abijciatur.

RESPON. Dicendum, quod quicumque sapienter aliquod opus facere proponit, prius remouet impedimenta sui operis, unde dicitur Hier. 4. Nouate uobis nouale, & nolite serere super spinas. Diabolus autem hostis est humanæ salutis, qua homini per baptismum exhibetur, * & habet potestatem aliquam in hominem, ex hoc ipso quod subditur originali peccato, uel etiam actuali. Unde conuenienter ante baptismum expelluntur demones p exorcismos, ne salutem hominis impediant: quã quidem expulsionem significat exufflatio. Benedictio autem cum manus impositione, præcludit expulsionem, ne redire possit. Sal autem in os missum, & narium, & aurium sputo hnitio, significat receptionem doctrinæ fidei quãtum ad aures, & approbationem, quãtum ad nares, & confessionem, quãtum ad os. Olei uero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra demones.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod energumeni dicuntur, quasi interius laborantes ex intrinseca operatione diaboli. & quãuis non omnes accedentes ad baptismum, corporaliter ab eo uexentur: omnes tamen non baptizati potestati demonũ subijciuntur, saltem propter originalis peccati reatum.

AD SECUNDVM dicendum, quod in baptismi per * abluionẽ peccati excluditur potestas demonis ab homine, quãtum ad hoc, quod impedit eũ a perceptione gloriæ: sed exorcismi excludunt potestatem demonis, in quantum impedit hominem a perceptione sacramenti.

AD TERTIVM dicendum, quod aqua benedicta datur contra impugnationes demonum, quæ sunt ab exteriori: sed exorcismus ordinatur contra impugnationes demonum, quæ sunt ab interiori. unde & energumeni dicuntur, quasi interius laborantes, illi qui exorcizantur. Vel dicendum, quod sicut in remedium contra peccatum, secundo datur penitentia, quia baptismus non iteratur, ita in remedium contra impugnationes demonum, secundo, datur aqua benedicta, quia exorcismi baptismales non iterantur.

ARTICVLVS III.

Vtrum ea, quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod ea quæ aguntur in exorcismo, non efficiant aliquid: sed solũ significant. Si enim puer post exorcismos moriatur ante baptismum, salutem non consequitur: sed ad hoc ordinatur effectus eorum, quæ in sacramentis aguntur, ut homo consequatur salutem. unde Marci ult. dicitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. ergo ea quæ aguntur in exorcismo, nihil efficiunt, sed solum significant.

¶ 2 Præt. Hoc solũ requiritur ad sacrm noue legis, ut sit signũ & causa, ut supra dictũ est. * Si ergo ea quæ aguntur in exorcismo, aliquid efficiant, uidentur,